

occurrit perpetuo Festum S. Theclæ, cuius fit Commemoratio, quæ natura sua est specialis; ast fieri potest (ex. gr., anno 1899), quod eodem die 23 Septembris occurrat FERIA major Quatuor Temporum, cuius Commemoratio faciendâ itidem est tamquam specialis; unde in Missa S. Lini assignantur Commemorationes FERIÆ et S. Theclæ. In Missa Votiva privata S. Aloysii jam omnino debent dici quatuor Orationes, prima S. Aloysii, secunda S. Lini, tertia FERIÆ majoris Quatuor Temporum, quarta S. Theclæ. Quatuor numero sunt Orationes, sed quia a Rubrica Missalis præscribuntur, et ex arbitrio Sacerdotis non adsit iste numerus par Orationum, ideo non debet addi quinta Oratio, ut numerus impar habeatur.

Ex alio titulo etiam, plures aliquando dici debent quam tres Orationes, nempe quando Orationes Votivæ late dictæ addendæ sunt Orationibus Missæ propriis, nempe Commemoratio SS. Sacramenti expositi, et Oratio ab Ordinario imperata. (Cfr. QQ. 89, 90.) Istæ enim, quando dicendæ sunt, in Missis Votivis privatis omnino dici debent; et quia earum proprius locus venit post Orationes a Rubricis ipsius Missæ præscriptas, cum tres jam præscribantur, necessario quarto aut quinto loco istæ Orationes imperatæ dici debent. Iterum ratione istarum Orationum, casu quo dici debent, numerus impar non erit observandus: non enim eæ sunt quæ ad arbitrium Sacerdotis adduntur, nam ex præcepto addi debent ultra numerum a Rubricis requisitum.

Q. 248. *Quo loco, et quo ordine dicuntur Orationes, quas in Missis Votivis privatis ad arbitrium suum Sacerdos addit?*

R. Ex præcedentibus constat, in Missis Votivis privatis debere dici primo Orationem propriam Missæ; dein Commemorationes speciales quotquot sunt; quæ si sufficienti numero non dentur ut ad requisitum trium saltem Orationum numerum perveniatur, supplentur per Commemorationes communes; has omnes Commemorationes sequuntur, si dicendæ sint, Orationes Votivæ late dictæ, seu ab Ordinario vel ab ipsis Rubricis imperatæ. Pro his omnibus Orationibus, a Rubrica præscriptis, modo habeatur numerus trium saltem Orationum, et insuper pro Orationibus Votivis late dictis, non attendi debet ad imparitatem numeri.

Orationes Votivæ stricte dictæ, quas Sacerdos ad

arbitrium suum addit (cfr. QQ. 89 ad 92), dicendæ sunt post omnes supradictas Orationes; et pro eis servandus est ordo dignitatis, et, si sumantur ex serie Orationum diversarum, ordo iuxta quem in Missali ponuntur. Quando autem, addita hujusmodi Oratione Votiva stricte dicta, numerus omnium Orationum esset par, necessario Sacerdos debet et alteram addere, ut numerus impar habeatur.

EXEMPLUM. Supposita iterum Missa Votiva privata S. Aloysii, die 23 Septembris, in Festo S. Lini, occurrente FERIA aliqua Quatuor Temporum, et Festo simplici S. Theclæ; et supposita quoque imperata Oratione pro Papa; dicendæ erunt in Missa Orationes sequentes: 1 S. Aloysii, 2 S. Lini, 3 FERIÆ Quatuor Temporum, 4 S. Theclæ, 5 pro Papa. Si Sacerdos ad arbitrium suum voluerit addere Orationem ex. gr., ad postulandam continentiam, poterit hoc facere; sed quia tunc, ratione hujus arbitrii, numerus Orationum jam haberetur par, debet in casu addere et aliam ad arbitrium suum; si elegerit Orationem, ex. gr., de B. Maria Virgine, dicet post Orationem quintam pro Papa, sextam de B. Maria Virgine, septimam tandem ad postulandam continentiam.

Q. 249. *An in Missis Votivis privatis unquam dici possunt Sequentiæ?*

R. Negative; unde si Missa Votiva celebretur de Septem Doloribus B. Mariæ V., omittenda erit Sequentia *Stabat Mater*, quæ non nisi in Missis Festivis dici potest. (Decret. S. Rituum Congregationis, 16 Septembris 1673, n. 1490, antiq. 2656, ad 2.)

Item recitari nequit Sequentia *Veni sancte Spiritus*, in Missis Votivis de Spiritu sancto, neque Sequentia *Lauda Sion*, in Missis Votivis de SS. Eucharistiæ Sacramento (Decret. 21 Martii 1795, n. 2550, antiq. 4464, ad 2); istæ Sequentiæ in Missis horum Mysteriorum quæ tamquam Votivæ dici debent, non indicantur. (Cfr. Q. 139.)

Q. 250. *An Symbolum in Missis Votivis privatis recitari potest? Quæ datur exceptio?*

R. I. Ut appareat differentia inter Festa eorumque Commemorationes quæ per Missas Votivas peraguntur, ideo Symbolum *Credo* non dicitur in Missis Votivis privatis, etiamsi in cantu aut cum solemnitate externa

celebrentur. — Regulam ponit Decretum S. Rituum Congregationis (30 Junii 1896, n. 3922, § III, n. 3) : « Missæ Votivæ hujusmodi fiant sine *Gloria* et sine *Credo*, etiamsi de Patrono vel Titulari, vel, per speciale Indultum, in die Dominica, et in Festis duplicibus, vel etiam infra Octavas celebrentur. »

Igitur, si Missæ Votivæ privatæ celebrantur, sive de SS. Trinitate, sive de SS. Sacramento, sive de B. Maria V., sive de SS. Angelis, sive de Sanctis Ecclesiæ Doctoribus, sive de quocumque Mysterio aut Sancto, in cujus Festo dici debet Symbolum, dici non potest in Missis Votivis de eisdem.

II. Hæc regula ante sine exceptione subsistens, inde a publicatione præfati Decreti unam habet exceptionem. Posita enim regula pro omissione Symboli in Missis Votivis, additur mox : « nisi sint de die infra Octavam ; quo in casu celebrandæ essent ut in Festo, id est cum *Gloria* et *Credo*. » Itaque in Missis Votivis quæ celebrantur de Mysterio, vel de Sancto, in quorum Festo et per Octavam dicitur Symbolum (cfr. QQ. 143 ad 148), infra Octavam eorum Festi, etiam dicitur Symbolum. — Quod congruum unicuique videbitur ; nam sicut dictum fuit pro Hymno *Gloria* (cfr. Q. 242, ad exceptionem 4<sup>am</sup>), Octava est prorogatio alicujus Festi ad octo dies continuos, qui dies aliquo modo censentur unus dies ; ideoque Missa Votiva hujusmodi fit quasi semifestiva, et ratio quæ existit pro Hymno *Gloria* admitti potest etiam pro Symbolo.

Exempla quæ proponuntur supra pro Hymno *Gloria* (Q. 242, ad exceptionem 4<sup>am</sup>), pro Missis Votivis celebratis 4 Julii, et 11 Decembris, inservire possunt pro præsentem casu Symboli, legendo *Symbolum Credo* ubi legitur ibi *Hymnus Gloria in excelsis*.

Q. 251. Quæ sunt regulæ pro Præfatione, et pro Oratione Canonis quæ incipit : **Communicantes**, quando celebrantur Missæ Votivæ privatæ ?

R. I. 1<sup>o</sup>. Si Missa Votiva propriam habeat Præfationem, hæc propria semper dicenda est, etiamsi habere Octava Præfatione propria gaudens.

2<sup>o</sup>. Si Missa Votiva propriam non habeat Præfationem, sed contigerit celebrari infra Octavam alicujus

Festi quod suam propriam Præfationem habet, dicitur Præfatio de Octava.

3<sup>o</sup>. Si Missa Votiva propriam non habeat Præfationem, neque occurrat Octava propriam Præfationem habens, sed contigerit celebrari infra tempus anni ecclesiastici pro quo Præfatio propria datur, quale est tempus Quadragesimæ, tempus Passionis, et tempus Paschale, necnon Feria VI post Octavam Ascensionis, dicitur Præfatio de Tempore.

4<sup>o</sup>. Si nulla propria ex prædictis Præfatio occurrat, dicitur in Missa Votiva privata Præfatio communis. (Cfr. Q. 159.)

5<sup>o</sup>. Animadvertere juvat, quod nulla ratio habenda est Præfationis, quæ propria foret Missæ conformis Officio diei : hæc negligitur in Missa Votiva.

NOTA. De cantu Præfationis in Missis Votivis privatis, qui debet esse in tono feriali, dictum fuit Q. 161 ; quid sit faciendum in diversis casibus ibi expositum reperietur.

EXEMPLA. 1<sup>o</sup>. Missæ Votivæ de Mysteriis SS. Trinitatis, Spiritus sancti, SS. Eucharistiæ Sacramenti, Passionis, Crucis SS. Nominis Jesu, SS. Cordis Jesu, Pretiosissimi Sanguinis D. N. ; necnon Votivæ de B. Maria Virgine, et de SS. Apostolis, omnes habent suas proprias Præfationes, quæ itaque dicendæ sunt in omni casu. (Cfr. Q. 157.)

2<sup>o</sup>. Si die 4 Julii celebretur Missa Votiva de S. Joseph, cujus Missa propriam Præfationem non habet ; quia occurrit jam Octava SS. Apostolorum Petri et Pauli, quorum Missa propriam Præfationem habet, in Missa Votiva S. Joseph dicitur Præfatio de Apostolis.

3<sup>o</sup>. Si de eodem S. Joseph dicitur Missa Votiva in Quadragesima, cum jam nulla Octava cum propria Præfatione occurrat, dicitur in ejus Missa Votiva Præfatio de Tempore Quadragesimæ.

4<sup>o</sup>. Si de eodem S. Joseph dicitur Missa Votiva, ex. gr., a Pentecoste usque ad Adventum, pro quo anni ecclesiastici Tempore nulla datur propria Præfatio, dicitur in ejus Missa Votiva Præfatio communis.

5<sup>o</sup>. Si diceretur eodem tempore hæc Missa Votiva de S. Joseph in aliqua die hebdomadæ, in qua Sacerdos qui Missam Votivam celebrat, Officium dixit, ex. gr., Officium Votivum, cujus Missa propriam habet Præfationem, nempe Votivum de SS. Apostolis (Feria III), aut de SS. Sacramento (Feria V), aut de Passione Domini (Feria VI), aut de Immaculata Conceptione B. Mariæ V. (Sabbato), etiamsi in Missa Votiva de S. Joseph

Oratio secunda, tamquam Commemoratio specialis de hujusmodi Officio dici debeat, nullo modo tamen dici potest aliqua Præfatio propria de Missa quæ Officio correspondet, sed omnino neglecta hac Præfatione propria, dicenda est Præfatio communis.

II. Quoad Orationem *Communicantes* (cfr. Q. 169), quæ in Missæ Canone infra quasdam Octavas est propria, ex. gr., infra Octavam Ascensionis Domini, hæc in Missis Votivis quoque, quæ infra hanc Octavam celebrantur, est dicenda; etiamsi Præfatio non diceretur de Ascensione, sed propria Missæ Votivæ, ex. gr., de B. Maria Virgine, in hujus Missa Votiva privata. (Decret. S. Rituum Congregationis, 16 Junii 1663, n. 1265, antiq. 2223, ad 3.)

Casus applicari potest huic Octavæ Ascensionis tantum, nam infra alias Octavas quæ hanc Orationem *Communicantes* in Canone habent propriam, Missæ Votivæ privatæ non possunt celebrari.

Q. 252. *Quid notandum est quoad Ite missa est, et ultimum Evangelium, in Missis Votivis privatis?*

R. I. Juxta regulam generalem, in omni Missa servandam (Rubricæ generales Missalis, Tit. XIII, n. 1), quando in Missa Votiva dictus fuit Hymnus *Gloria in excelsis* (cfr. Q. 242), dicitur etiam in fine Missæ: *Ite missa est*; quando vero omissus fuit in Missa Votiva Hymnus *Gloria in excelsis*, in fine Missæ semper dicitur: *Benedicamus Domino*.

II. In omnibus Missis Votivis privatis « numquam legitur in fine aliud Evangelium, nisi S. Joannis », scilicet: *In principio*. (Rubricæ generales Missalis, Tit. XIII, n. 2.) Invariabilis est hæc regula, etiamsi Missa Votiva privata celebraretur, ex. gr., tempore Quadragesimæ, quando in Missis de Sanctis, Officio conformibus, legitur semper Evangelium proprium Feriæ; hoc omittitur in Missis Votivis privatis. (Cfr. Decreta S. Rituum Congregationis, 5 Maji 1736, n. 2319, antiq. 4044, ad 28; et 30 Junii 1896, n. 3922, § III, n. 3.)

Q. 253. *Quid animadvertendum est pro Missis Votivis privatis, seu ex causa non publica, quæ celebrantur in cantu*

*vel solemniter? Quid notandum est pro cantu, si contingat Missam Votivam privatam solemniter, aut in cantu celebrari?*

R. I. Missæ Votivæ privatæ, in cantu vel etiam quantumvis solemniter celebratæ, cum Altaris apparatu et magno musicorum concentu, sed non pro re gravi et ex causa non publica, etiamsi in forma novendialis vel octidui ante vel post aliquam solemnitatem agantur; nullimode celebrentur in Dominicis, et Festis duplicibus, aut in diebus in quibus nec de Duplici fieri possit, nisi ex Indulto speciali; et in iis *Gloria in excelsis* et *Credo* semper omittantur; sed easdem normas ac cæteræ Votivæ sequuntur. (Decreta S. Rituum Congregationis, 2 Septembris 1690, n. 1843, antiq. 3232, ad 1; et 30 Junii 1896, n. 3922, § IV, nn. 1, 2, 3.)

II. Celebrans Missam Votivam privatam, in omnibus debet, si solemniter, aut in cantu eam celebret, uti tono feriali seu simplici; itaque Orationes cantari debent tono simplici feriali: Præfatio, et *Pater noster* in cantu feriali; *Ite Missa est*, vel *Benedicamus Domino* in tono simplici; excepto tamen *Ite missa est*, in Missis Votivis de B. Maria Virgine, quod cantatur eodem tono quo in omnibus Missis de B. Maria. (Cfr. Tractatus Sacræ Liturgiæ: *Cæremoniale*. Appendix II.)

## APPENDIX I

## Tabella ordinis servandi pro Missæ Votivæ privatæ celebratione

254. Pro facilitate Sacerdotum qui Missas Votivas privatas celebrare debent, sæpius, in variis Libris precum, necnon in pluribus Directoriis seu Cartabellis, describitur aliqua Tabella, in qua variæ regulæ supra positæ compendiose proponuntur. Hujusmodi Tabellam hic describere juvat, cum debitis explicationibus et notis, quibus semel intellectis, usus postea pro praxi facilius fiet.

NOTA. Nihil in Tabella notatur de Sequentia, de Oratione *Communicantes* propria infra Octavam Ascensionis Domini, de ultimo Evangelio; pro quibus Missæ partibus immutabiles exstant regulæ, scilicet, quod Sequentia numquam dicatur (cfr. Q. 249); quod Oratio Com-